

quentem propositionem 2 in ordine ex merito damnatis ab Innocentio XI die 2 mart. 1679, ibi: « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. » (53. Nec potest judex in æquali probabilitate opinionum utriusque partis litigantium ullatenus accipere pecuniam seu munera pro ferenda sententia in favorem unius præ alio: *Communis etiam ac certa*, propter sequentem propositionem ordine 26 ex merito damnatis ab Alexandro VII die 24 septemb. 1665, ibi: « Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. »

(54. Quando, cunctis bene perpensis, apparent adhuc judici æque probabiles, atque per omnia æquales rationes, et probationes utriusque partis, tunc in pari causa pro reo vel pro possessore est judicandum: cap. *Cum sunt 11*, de Regul. juris in 6. ibi: « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori. » L. *Favorabiliores 167*, de Regul. juris, ibi: *Favorabiliores rei potius quam actores habentur*; c. *In pari 63*, de Regul. juris in 6, ibi: *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*; l. *In pari 170*, de Regul. juris, ibi: *In pari causa possessor potior haberi debet*; c. *Ad aures 6*, de Præscriptionibus, ibi: *De jure melior est conditio possidentis*, et c. *Ex litteris 3*, de probationibus, ibi: *Quod si ambarum partium testes sunt æque idonei, possessoris testes præferuntur, cum promptiora sint jura ad absolvendum quam ad condemnandum*. (55. Excipiuntur tamen causæ privilegiatæ, liberales, seu favorabiles verbi gratia matrimonii, libertatis, dotis ac testamenti, quia in æqualitate probationum judicatur pro causa liberali seu favorabili, textu expresso in cit. cap. *Ex litteris*, ibi: *Præterquam in liberali causa, in qua, si utriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate sententia proferetur*. Et Glossa communiter recepta ib. verb. *In liberali*, ubi excipit dictas causas in his duobus versibus contentas.

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,  
Si sunt æquales, qui producantur utrinque.

Et expresse excipiuntur dictæ causæ in c. *Duobus judicibus 26*, de sententia et re judicata, ibi: *Tenet pro reo, non pro actore sententia, nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata*.

(56. Judex, regulariter loquendo, judicare debet *secundum allegata, et probata*. Communis ac certa, claris juribus in cap. *Judices 4*, caus. 3, quæst. 7, in cap. *Cum æterni Tribunal 1*, de sententia et re judicata in 6, et l. *Rem non novam*, cod. de Judic., cum similibus. (57. An autem judex debeat judicare *secundum allegata et probata* etiam contra propriam certam scientiam, tres sunt opiniones, duæ extreme oppositæ, et una media inter utramque. (58. Prima sententia absolute et universim tenet judicem posse ac debere semper in quacunque causa judicare *secundum allegata et probata*,

etiam contra propriam conscientiam, si nullum medium supersit effugiendi, et præsertim liberandi, verbi gratia quem ipse judex privata scientia certo scit esse innocentem, et secundum allegata et probata comparet nocens, et reus morte dignus; et hanc sententiam tenet expresse S. Thom. 2, 2, qu. 64, art. 6, ad 3, ubi sic præcise dicit: « Judex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes ut inveniatur occasio liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem hoc non potest, non peccat secundum allegata et probata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem; » et universim qu. 67, art. 2: et sic tenent Cajetanus, Sotus, Navarrus, Paludanus, Alensis, Thomas Sanchez, Bartolus, Julius Clarus, Covarruvias, Joannes Andreas, et alii apud Card. de Lugo disp. 37, sect. 4, num. 42, arg. cap. *Judicat 4*, caus. 3, quæst. 7, ubi ex verbis S. Ambrosii habetur: « Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum et meditatam domo refert; sed sicut audit ita judicat; et sicut se habet negotii natura, decernit; obsequitur legibus, non adversatur. » Et Glossa ib.; et alia Glossa in c. *Pastoralis 28*, § *Quia vero*, de Officio delegati; et alia Glossa in c. *Perniciosam 1*, de Officio judicis ordinarii, ubi sic expresse dicit: « Judex debet judicare secundum allegata, et secundum canones et leges, et non secundum conscientiam. » Arg. cap. *Summopere 7*, caus. 11, q. 3, [et leg. *Illicitas*, § *Veritas*, ff. de Officio præsid., in eujus sumario sic expresse dicitur: « Judex debet judicare secundum allegata et probata, non autem secundum conscientiam. »

(59. Secunda sententia, extreme opposita primæ, docet in nulla causa posse judicem judicare *secundum allegata et probata* contra propriam conscientiam, et condemnare quem privata scientia certo scit esse innocentem. Sic tenent Abbas Panormitan. in cit. cap. *Pastoralis*, § *Quia vero*, n. 8, circa finem, de Officio delegati; Nicolaus de Lyra in Exod., c. 23; Rosella verb. *Judex*; Angelus verb. *Judicare*, et alii, quos citat Lugo disp. 37, sect. 4, num. 42; et Lessius lib. II, cap. 29, n. 84; Pontas verb. *Judex*, cas. 3, ubi etiam solvit fundamenta prioris sententiæ. Et ratio istorum est quia judex ferendo sententiam contra privatam suam certissimam scientiam reipsa mentiretur; aliud enim dicere quam scias mendacium est, atque intrinsece malum, et nunquam licitum. Unde Exod. xxiii sic expresse præcipitur omni judici: *Non suscipies voces mendacii.... Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies*. Et Apostolus ad Romanos xiv sic scribit: *Omne quod non ex fide peccatum est*. Id est, omne quod fit contra conscientiam peccatum est, ut explicat sanctus

Ambrosius, relatus in c. *Quærat hic*, § *Illud autem*, de pœnit., dist. 2. Tum quia præsertim in criminalibus nullimode potest habere locum prima sententia, quia nullo modo licet judici condemnare ad mortem quem certissime scit innocentem, suprema lege Dei id prohibente. Exod. xxiii, ibi: *Insonitem et justum non occides*. Quamvis enim per leges humanas teneretur judex condemnare ad mortem *secundum allegata et probata* ostensum reum, quem ipse privata scientia scit certissime innocentem, adhuc tamen non posset licite ipsum condemnare, ratione dictæ legis divinæ, id prohibentis, cum contra legem divinam et naturalem nihil valeant leges humanæ: arg. cap. *Inferior 5*, dist. 21, c. *Cum inferior 16*, de majorit. et obedient.; Clementin. *Ne Romani*, de Election.

(60. Tertia sententia, duabus aliis probabilior, docet quod si nulla media declinandi officium judicis supersint, possit quidem judex *secundum allegata et probata* contra propriam scientiam licite ferre sententiam in civilibus et causis criminalibus minoribus, ubi solum agitur de pœna pecuniaria, privationis officii vel honorum; non autem in criminalibus majoribus, in quibus agitur de pœna vitæ vel mutilationis. Sic tenent Imola et alii juristæ in l. *A divo Pio*, ff. de re judicata; Pirhing lib. I Decret., tit. 32, n. 5 et 10; Reiffenstuel ib., num. 46; Clingerperger lib. IV Institut., tit. 1, quæst. 4; Adrianus quodlibet. 2, punct. 3, et quodlibet. 6, art. 3; Lessius lib. II de Justit. et jur., c. 29, dub. 14; Layman lib. III Theol. Moral., tract. 6, c. 2, n. 8; Lugo tom. II, disp. 37, sect. 4, n. 42 et sequent.; Coninch. tom. II, de Sacramentis, disputat. 13, de Censuris, num. 106 et 110, et disp. 34, de Matrimonio., num. 99; Petrus Navarra de Restitutione, c. 3, n. 161; Malderus, Sa, Bonacina, Toletus, cum Busembaum, et La Croix lib. IV, c. 3, dub. 2, art. 4, et alii.

(61. Ratio autem quare judex possit licite contra propriam conscientiam ferre sententiam *secundum allegata et probata* in civilibus et criminalibus minoribus, et non in criminalibus majoribus, est quia judex in causis civilibus et criminalibus minoribus habet ad hoc legitimam potestatem ab ipsa republica, quæ est domina bonorum suorum subditorum, et potest de illis disponere quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo evertatur. At vero in criminalibus majoribus non habet judex hanc potestatem a republica, quæ, cum non sit domina vitæ ac membrorum suorum subditorum innocentium, non potest concedere judici talem potestatem. Tum quia occidere innocentem est intrinsece malum, sicuti cognoscere non suam uxorem; sed nemo potest licite cognoscere quam certo scit esse non suam, quantumvis probetur per legitimos testes esse suam, et judex pronuntiet esse suam; ergo nec etiam licebit condemnare innocentem, quantumvis probetur nocens per falsa et apparentia te-

stimonia. Major est clara, minor est certa et communis, et conceditur ab ipsismet auctoribus contrariis: arg. cap. *Inquisitioni 44*, de Sent. Excomm. ubi conjux certo sciens occultum impedimentum matrimonii, quod tamen in judicio probare nequit, tenetur potius humiliter sustinere excommunicationem quam juxta sententiam judicis reddere debitum, adeoque neque in proposito potest respública dare auctoritatem judici ad licite condemnandum innocentem contra propriam conscientiam, quantumvis probetur nocens per falsa et apparentia testimonia; et ad hoc faciunt dicta sub n. 52.

(62. Nec valet dicere quod sit contra rationem ut plus deferatur uni quam duobus vel tribus testibus; uti faceret judex qui propter suam solam privatam scientiam relinqueret testimonium duorum vel trium testium: tum quia hac ratione quilibet judex fingere posset se habere privatam scientiam de innocentia convicti rei, et sic quemlibet reum sibi bene affectum liberare in grave Reipublicæ detrimentum. Non valet, inquam, quia, licet sit contra rationem credere magis uni testi quam duobus vel tribus, non est tamen contra rationem credere magis sibi quam centum testibus; quia unusquisque facit sibi plenissimam fidem. Imo non solum facit sibi fidem, sed evidentiam rei, contra quam non valent centum testes oppositum deponentes. At tum quia respondetur non adesse tale periculum in grave assertum reipublicæ detrimentum, quia cum in foro externo non sit credendum judici, nisi id probet, sed potius debeat puniri propter justitiæ ordinem non servatum, non subibit libenter illud periculum punitionis in foro externo, nisi urgente et stimulante conscientia in foro interno gravioris punitionis apud Deum, juxta illud *Matthæi 10*, num. 28: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*.

(63. De primo igitur ad ultimum quando judex scit certo scientia privata aliquem esse innocentem, licet juridice probatus sit nocens, tenetur omni modo eum liberare, si potest, verbi gratia excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem, vel singillatim interrogando circumstantias loci, temporis, et hujusmodi, juxta exemplum Danielis prophetæ, *Dan. xiii*, uti sic testium falsitas possit deprehendi; vel relinquendo carcerem apertum, si hoc sine majore malo et scandalo fieri possit, vel remittere causam ad judicem superiorem, et coram illo testificari innocentiam certo a se cognitam rei falso accusati. Quod si autem nullum præfatorum aut similium fieri posset seu juvaret pro liberando tali innocente, et judex urgeretur a præpotente parte ad ipsum morti adjudicandum, tunc potius deberet judex officium demittere quam innocentem contra propriam conscientiam, licet juridice probatum nocentem, ad mortem condemnare, non obstante quod etiam hoc modo nihil esset ipsi innocenti profuturus. Sic

verius censet cum aliis Lessius lib. II, cit. cap. 29, num. 78; Mastrius Theol. moral., disput. 6, num. 25; Felix Potestas tom. I, part. I, num. 118 et 119; Reiffenstuel. loc. cit., num. 50; Lugo, Filliacius, Toletus, et alii citati pro tertia sententia.

(64. Judex licet habeat certam scientiam privatam contra reum, quia verbi gratia propriis oculis vidit illum delinquentem, si tamen juridice probatus sit innocens, non potest licite ipsum condemnare, quia judex ut persona publica debet sequi scientiam publicam, et procedere secundum allegata et probata, præsertim in favorem rei: arg. cap. *Odia* 15, de Regulis Juris in 6, ibi: *Odia restringi, et favores convenit ampliari*; cap. *in pænis* 49, de Regulis Juris in 6, ibi: *In pænis benignior est interpretatio facienda*; l. 115, ff. de Regulis Juris, ibi: *In pænibus causis benignius interpretandum est*; l. 42, ff. de Pænis, ibi: *Interpretatione legum pæne molliendæ sunt potius quam asperandæ*; et sic tenent sanctus Thomas 2, 2, quæst. 67: Navarr. cap. 25; Abbas in cap. *Pastoralis* 28, de Officio delegati, § *Quia vero*, num. 8; Covarruvias lib. I, Variar. Resolut., cap. 1, num. 8; Cajetanus, Fillius, Lessius, Bonacina cum Busembaum, et la Croix lib. IV, cap. 3, dub. 2, artic. 4: Reiffenstuel lib. I Decretal., tit. 32, n. 36, et alii. Et ratio est quia generale est quod actore non probante reus absolvitur: cap. *Cum Ecclesia Sutrina* 3, § final., de causa possession. et propriet.; l. *Qui accusare*, cod. de Edendo, cum similibus. Tum quia talis judex absolvendo reum non agit contra propriam conscientiam cum non pronuntiet eum esse innocentem, sed solum quod contra ipsum nihil legitime et juridice fuerit probatum, et pro hac conclusione faciunt jura adducta sub num. 58.

(65. Judex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter, uti principales, examinantur. Sic novissime statuit Benedictus XIII in Concilio Romano, tit. 3, de jurejurando, cap. 2. Vide verb. *Accusatus*, num. 26.

(66. Judices synodales, quibus a Romana Curia committuntur judicandæ causæ in partibus a Curia remotis, designari debent personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive personatum, sive canonicatum in aliqua cathedrali ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab episcopis in synodis; et si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra synodum ab episcopo cum consensu capituli usque ad novam synodum perseveraturi. Designatorum vero sive in synodis, sive extra, nomina secretario supplicum libellorum pontificis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacunque diocesi, vel plures, si amplitudo ejusdem postulet. Benedict. XIV, tom. I Bull., Constit. 28, incip. *Quamvis paternæ*.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

67. Quatuor hic non incongrue sunt discutienda. I. An judex supplere valeat quæ

omissa a partibus sunt. II. An sequi teneatur sententiam æquiore. III. An probabilior. Et demum, IV. Quid faciendum si causa ei videatur utrinque æque probabilis.

(68. Ad primum quod attinet, potest judex ea supplere quæ juris, non item quæ facti sunt, nisi ex actis reluceant. (69. Primum membrum probatur ex Lege unica, c. *Ut quæ desunt advocat. part. judex suppleat*: membrum posterius inde patet, quod jura partium allegare non judicis, sed advocati officium est. Consule Voet in comm. ad Pand. l. v, tit. 1, n. 49. (70. Limitatio subnexa est æque aperta, propterea quod si facta ex actis reluceant, scit illa ut judex, consequenter cum fidem publicam sequi debeat, debet etiam secundum illa pronuntiare. Quapropter si ex actis colligat alterutrum litigantium præscripsisse, debet ei rem ex præscriptione adjudicare, esto in ea se non fundaverit. Bruneman. in d. l. unica, n. 8; Zanger de Except., part. III, cap. 26, n. 16.

(71. Addit Stryk. juridic. dissert., vol. II, disput. 2, cap. 3, n. 7: *Si facta quedam (sunt ejus verba) judici nota sint, etiam ex aliis actis ista supplere tenetur*. Sed meo judicio minus recte.

(72. Quod concernit secundum, si jura sint utrinque dubia, tenetur judex sequi sententiam æquiore. (73. Et ita capi debet lex 8, c. *de Judiciis*, ubi habetur: *Placuit in omnibus rebus præcipuum esse justitiæ æquitalisque, quam stricti juris rationem*. (74. Gæterum si lex sit clara, esto judici dura, ac nimis videatur rigorosa, non potest tamen ab ea recedere, l. 12, § 1, ff. Qui et a quib. manumitt.

(75. Quoad tertium, recte Auctor, n. 52, sensit haud posse judicem sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. Adi vero Peregrin. in Manu. ad Jurisprud. Justin. lib. v, tit. 18, qui et de eo disserit, an advocatus causam tueri possit secundum opinionem probabilem in concursu probabilioris.

(76. Restat ut de quarto disseratur. Variæ autem sunt hæc de quæstione opiniones. Mihi ea semper arrisit sententia, ut judex vel transactionem suadeat, vel eo rem dirigat, ut forte aut per arbitros controversia dirimatur, aut vero æqualiter dividatur. Confer. Peregrin. in Manu. ad Jurisprud. Justin., lib. IV, tit. 18, qui aliorum opiniones refert unaque confutat.

#### NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU. EDITIONIS VENETÆ 1782.

Multi docent judices sæculares nihil omnino posse a partibus recipere, eo quod leges digest. correctæ sint per jus authenticorum, quo prohibetur iudicibus universaliter munera accipere: auth. *Ut iudices suo quoque suffragio*. Ita Antoine in tract. de obligat., cap. 5, § 1, in not. post quæst. 4, in qua quærit an liceat iudici munera a partibus accipere: definitque resp. 1 nihil licere iudici accipere pro ferenda sententia,

sive justa, sive injusta, eumque sic accepta restituere teneri, spectatoque solo jure naturali, et ante omnem sententiam restitutionem fieri debere ei qui dedit. Et resp. 5 statuit ne munera quidem liberalia, et sponte, ac sine ullo onere oblata, accipere iudici fas esse, æque ubi hoc etiam jure naturali, si minus sit magni momenti, vetitum esse ostendit, subdit: *Cum autem dissentiant doctores circa obligationem restituendi ante omnem sententiam munera sponte ac liberaliter, nec ad vexationem injustam redimendam donata confessor debet semper iudicem obligare ad talem restitutionem; tum quia forte ad eam jam tenetur ex conscientia, tum quia tali pœna dignus est, et per eam avocandus est a lapsu.*

#### ADDITIONES CASINENSES.

In hoc articulo sequentia addere fas sit:

(1. Quæritur utrum judex licite possit pœnam relaxare. *Dicendum, quod duo sunt quantum ad propositum pertinet, circa iudicem consideranda: quorum unum est, quod ipse habet iudicare inter accusatorem et reum; aliud autem est quod ipse non fert iudicii sententiam, quasi ex propria, sed quasi ex publica potestate. Duplici ergo ratione impeditur judex ne reum a pœna absolvere possit. Primo quidem ex parte accusatoris, ad cuius jus quandoque pertinet ut reus puniatur, puta propter aliquam injuriam in ipsum commissam, cuius relaxatio non est in arbitrio alicujus iudicis, quia quilibet judex tenetur jus suum reddere unicuique. Alio modo impeditur ex parte reipublicæ, cuius potestate fungitur, ad cuius bonum pertinet quod malefactores puniantur.* » D. Thomas 2-2, quæst. 67, art. 4.

Hinc ex D. de Ligorio: *« Judex debet iudicare secundum leges. Unde ordinari non potest pœnam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ab bonum reipublicæ aliud necessarium esse dictaret epikeia, vel nisi de privata tantum injuria actoris ageretur.* » Lib. IV, cap. 3, n. 205.

(2. Quæritur utrum judex possit aliquem condemnare, etiamsi non sit aliquis accusator. Respond. negative cum D. Thoma in hæc verba: *« Dicendum quod judex est interpretes justitiæ. Unde philos. dicit in 5, ethic. Homines ad iudicem confugiunt, sicut ad quamdam justitiæ animatam. Justitia autem... non est ad seipsum, sed ad alterum, et ideo oportet quod judex inter aliquos duos dijudicet: quod quidem fit cum unus est actor, et alius est reus. Et ideo in criminibus non potest aliquem iudicio condemnare judex, nisi habeat accusatorem, secundum illud Act. XXV: Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina (quæ ei obijciuntur), » 2-2, quæst. 67, art. 3.*

(3. Quid vero sit faciendum iudici, cum

utrinque adsint sententiæ probabiles in quæstione juris?

Debet ferre sententiam secundum opinionem de jure probabilior. Quippe judex est constitutus ut secundum merita causæ, et sententiam quæ ei videtur maxime rationi consona, causam decidat; alioquin esset acceptor personarum. Hinc optime merito damnata ab Innocentio XI sequens propositio: *Probabiliter existimo iudicem posse iudicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Ex D. de Ligorio, ib., n. 309 et seq.

(4. Hic advertit ex DD. sententia: *quod attendenda est illa opinio quæ probabilior est secundum allegata et probata*. Hinc dicunt primo non posse iudicem aperire alteri parti quod ipsa posset pro se allegare, quia hoc esset agere munus advocati, quod iudici non licet. Notant secundo DD. propositionem damnatam loqui precis. de sententia; quare dicunt ex illa non vetari iudici opinionem minus probabilem sequi quoad actus, prout examinare testes, etc., sententiam præcedentes. ex D. de Ligorio l. c., n. 210.

(5. Hoc pacto, ut quoad primum ex consultorum mente aliqua dicamus, exploratum habet, quod ea quæ sui origine a litigantibus procedunt nullo modo a iudice fieri possunt; adeoque nec exceptionum non oppositarum, nec testium non productorum ratio habenda in sententiis ferendis; nisi quod in causis criminalibus incumbit iudicibus sic instituere testium examina, ut non modo inquirent in criminis qualitates et circumstantias reum gravantes, sed et in eas quæ ad ejus innocentiam comprobendam videri possunt pertinere. Voet ad Titul. ff. de Judiciis, n. 49.

(6. Atque ut clarius hac de re constet, illud animadvertendum, jetos in hac re distinguere ea quæ facti ab iis quæ iuris sunt. In iis quippe quæ facti sunt, id pro certo habendum, iudicem ea supplere non posse quæ a partibus non allegentur (nisi notoria prorsus sint ex instrumentis illis quæ probationis ergo in iudicio prolata sunt); ne alioquin suppleto ea quæ dabit facti sunt, non tam iudicis quam advocati partibus videatur fungi, et patrocinari potius quam iudicare. Nota vero quod si omissa causam relinquunt obscuriorem, ac difficiliorem, ejus determinationem, potest iudex per sententiam interlocutoriam monere litigantes ut plenius instruant litem pendentem, nec est quod ea propter quisquam eum habuerit jure suspectum. Ex Voet loc. cit.

(7. Secus vero se res habet ex DD. placito in iis quæ juris sunt; quippe tunc judex recte potest supplere quod ex lege est, quemadmodum compertum habemus ex leg. un. cod. *Ut ea quæ desunt advocatis partium iudex suppleat*, in hæc verba: *« Non dubitandum est iudicem, si quid litigatoribus, vel ab his qui negotiis adsistent, minus fuerit dictum, id supplere et proferre quod sciat, legibus et juri publico convenire.* » — *« Qua ratione, scribit idem Voet, nihil*

vetat quominus iudex consuetudinem quoque, quanquam non allegatam, in lite finienda sequatur, si modo inveterato usu jus tale inductum constet. Appellationem quoque declarat desertam, parte licet adversa nec allegante, nec petente; in quantum appellatione deserta, confirmata est ipso jure iudicis inferioris sententia, quæ per desertam appellationem, non ultra potest suspensa dici. » l. c.

(8. Quæres an sententia iudicis injusta obliget in foro conscientia?

« Resp. : Sententia injusta ex natura rei, aut ex omissione ordinis juris simpliciter necessarii, sive feratur per falso allegata et probata, sive ex iudicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientia, manetque parti læsæ, tametsi non appellet, jus suum, licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona... Ratio est quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem iudicii, hoc est ut determinatio juris, et definitio iustitiae.

« Dixi in foro conscientia; quia in foro

## JUDICIUM.

## SUMMARIUM.

1. Iudicium quid sit; quot vero, et quæ, seu principales; seu minus principales personæ ad illud constituendum requirantur. *Ad num. 7.* — 8. Iudicium a quibus causis, et quomodo dividatur. *Ad num. 11.* — 12. In iudicio, seu processu summario quæ solemnitates omitti possint, quæ vero non. *Ad num. 14.* — 15. In omnibus causis iudicium summa-

(1. Iudicium sumptum pro causæ discussione, quæ coram iudice pro tribunali sedente fit, definitur, quod sit « legitima rei controversæ apud iudicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, et dijudicatio. » *Est in re Communis*, cum Glossa in cap. *Forus 10*, de verborum Significat., verb. *Judicium*, ubi dicit quod « Iudicium est legitimus actus duarum personarum, actoris et rei, super eadem quæstione sub eodem iudice contracta. »

(2. Ad constituendum iudicium requiruntur ordinarie tres personæ principales, scilicet iudex, actor, et reus: l. *Inter litigantes 62*, juncta Glossa marg. litt. *F.*, ff. de *Judiciis*; c. *Forus 10*, de verbor. Significat. (3. Iudex sic dictus, quasi *jus dicens populo*, sive quod *jure disceptet*, prout expresse habetur in c. *Iustum est 1*, caus. 23, qu. 2, et in cit. c. *Forus 20*, de verb. Significat., est persona quæ publica auctoritate iudicio præest, et quasi mediatorem agens inter litigantes, rem controversam secundum juris præscriptum definit, arg. c. *In istis 3*, dist. 4, et cit. c. *Iustum est*, et cit. cap. *Forus*. (4. Actor ab agendo dictus, est persona quæ actionem proponit, et prior ad iudicium provocat: l. *In tribus 13*, l. *Qui prior 29*, ff. de *Judiciis*, et talis in causis criminalibus proprie vocatur *accusator*: l. *Inter 10*, leg. *Accusatore 13*, ff. de public. *Judic.*; l. *si accusatoribus 4*, Cod. de *accusat.* et cit. cap. *Forus 10*, de verbor. Significat. expresse dicitur: « Accusator vocatus est, quasi causator, quia ad

externo, ubi non tam veritas facti quam probatio juridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala et incommoda; neque elapso termino (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in pœnam pigritiæ, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis. » Ex D. de Ligorio lib. iv, cap. 3, dub. 2, n. 215.

Hinc duo sequentia subnectuntur:

I. « Is cujus bona per sententiam manifeste injustam adjudicata sunt alteri, potest (nisi alter juste præscripserit) per occultam compensationem ea recipere, quia recuperat jus suum. »

II. « Qui sciens per injustam sententiam mala fide accepit bona, tenetur ea semper restituere, neque unquam præscribere potest; quia sunt aliena, et possessor malæ fidei nunquam præscribit: imo tenetur expensas restituere, et compensare damna, etiamsi pars læsa non appellaverit, cum non renuntiet ideo juri suo. » Ex D. de Ligorio loc. cit.

rium institui potissimum solet ac possit. *Ad num. 22.* — 23. An possit extra casum necessitatis et pietatis iudicium exerceri diebus feriatis; quot vero sint, et quæ feriarum species. *Ad num. 27.* — 28. Quid licitum vetitumve sit circa dies feriatos, habita diversitatis feriarum ratione. *Ad num. 59.* — 40. Subnectuntur additiones ex aliena manu. *Ad num. 74.*

causam vocat eum quem appellat. » In causis autem civilibus proprie vocatur *actor*, seu *petitor*, l. *Inter 62*, ff. de *Judiciis*. (5. Reus sic dictus non a reatu, sed a re de qua disceptatur, et est controversia, ut expresse habetur in cit. cap. *Forus*, ibi: « Reus a re quæ petitur nuncupatur; quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur quandiu in iudicio pro re aliqua petitur; » est persona quæ ab actore provocatur, seu in jus vocatur, et contra eam in iudicio agitur.

(6. Notanter autem dictum est sub num. 2, quod ad constituendum iudicium requiruntur tres personæ principales, quia ultra ipsas tres personas principales solent intervenire aliæ personæ minus principales, seu accessoriæ, ut testes, advocatus, procurator, tabellio, et aliæ nonnullæ, veluti ministri iustitiæ, ut docet communis praxis. (7. De iis vero quæ concernunt iudicem, actorem, reum, advocatum, et procuratorem, vide verb. *Judex, Actor, Reus, Testis, Advocatus, et Procurator*.

(8. Iudicium dividitur juxta quatuor causarum genera: scilicet a causa efficiente, seu ratione iudicis illud peragentis; dividitur in iudicium *ecclesiasticum*, et *sæculare*. Iudicium *ecclesiasticum* est illud in quo coram iudice ecclesiastico disceptantur et definiuntur causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes. Iudicium *sæculare* e contra est illud in quo coram iudice sæculari seu laico disceptantur et definiuntur causæ ad forum

sæculare pertinentes. (9. A causa finali, seu ratione finis ob quem processus judicialis instituitur, dividitur iudicium in *civile*, *criminale*, et *mixtum*. Iudicium *civile* est illud in quo actor suum vel alterius commodum privatum prosequitur, sive causa ex contractu, sive ex delicto descendat, non agendo tamen super delicto seu crimine. Iudicium *criminale* e contra est illud in quo agitur super crimine ad publicam vindictam seu pœnam publicam, sive ea corporalis sit, sive pecuniaria applicanda fisco; aut publici officii privatio, et hujusmodi. Iudicium *mixtum* est illud in quo partim civiliter et partim criminaliter agitur, ut verbi gratia cum de crimine aliquo, uti de furto et damno illato, agitur ad interesse partis et simul ad vindictam publicam. (10. A causa materiali seu ratione materiæ controversæ iudicium dividitur in *petitorium* et *possessorium*. Iudicium *petitorium* est illud in quo principaliter de rei proprietate, dominio, vel quasi dominio; vel de jure aliquo in re vel ad rem competente, ut si res vindicetur, hæreditas petatur, actio empti, depositi, commodati, aut alia similis infertetur. Iudicium *possessorium* e contra est illud in quo non de proprietate vel dominio rei, sed de sola possessione seu quasi possessione ejusdem contenditur, sive adipiscenda, seu retinenda, sive recuperanda. (11. A causa formali seu ratione formæ in ipso servatæ dividitur iudicium in *ordinarium*, et *summarium*. Iudicium *ordinarium* (quod appellatur etiam *plenarium* seu *solemne*) est illud in quo iudex cum ordinaria figura et strepitu iudicii plenarie et solemniter, servatis omnibus requisitis solemnitatibus, procedit juxta plenum et totale præscriptum juris. Iudicium *summarium* (quod appellatur etiam *extraordinarium*) est illud e contra in quo iudex simpliciter vel summarie, et de plano, sine ordinario et solemniter strepitu, ac figura iudicii, sola facti veritate inspecta, procedit. Clement. *Dispendiosam 2*, de *Judiciis*, et Clement. *Sæpe contingit 2*, de verb. Significat., et l. *Nec quicquam*, § *De plano*, ff. de *Offic. proconsul.*

(12. In iudicio seu processu *summario*, quamvis possint omitti illæ solemnitates quæ jure solum positivo requiruntur, non tamen omitti possunt illæ quæ jure naturali aut gentium ad legitimam causæ decisionem sunt necessariæ; sic colligitur aperte ex cit. Clement. *Dispendiosam 2*, de *Judiciis*, et cit. Clement. *Sæpe contingit 2*, de verb. Signif. et tenet *communis* doctorum. (13. Prima pars conclusionis ostenditur inductione, allegando textum cit. Clement. *Sæpe contingit*, ubi Clemens V, determinans et declarans quid in judicialibus commissionibus, quæ fiunt a principe, vel a jure, significant hæc verba, scilicet, quod *procedatur simpliciter, et de plano, et sine strepitu, et figura iudicii*, seu summarie dicit: « Nos autem publicationem hujusmodi (quantum nobis est possibile), decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut iudex cui taliter causam committimus,

necessario libellum non exigit, litis contestationem non postulet, tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breviorum, exceptiones, appellationes dilatorias, et frustratorias repellendo; partium, advocatorum et procuratorum contentiones, et jurgia, testiumque superfluum multitudinem refrænando. Et infra post alia multa, subdit: Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) in scriptis, et (prout magis sibi placuerit) stans, vel sedens proferat etiam (si videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione, et probatione, et aliis actibus in causa fuerit faciendum. »

(14. Secunda pars conclusionis, scilicet, quod in iudicio seu processu summario non possint omitti ea quæ de jure naturali aut gentium sunt necessaria ad legitimam causæ decisionem, colligitur etiam clare ex citat. Clement. *Sæpe contingit*, de verbor. Significat., ubi Clemens V inter alia sic statuit: « Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes necessariæ et defensionis legitimæ admittantur. Citationem vero ac præstationem juramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi intelligimus non excludi. » Unde ex istis et ex aliis quæ ibi subjungit Pontifex aperte colligitur quod in iudicio seu processu summario nequeunt a iudice omitti ea quæ de jure naturali aut gentium sunt necessaria ad legitimam causæ decisionem, quia, si talia a iudice omitterentur, veritas occultaretur, et sic iusta sententia sequi non posset.

(15. Iudicium summarium in duplici causarum genere solet potissimum institui, scilicet in causis, quæ celerem requirunt expeditionem. Clement. *Dispendiosam 2*, de *Judiciis*, et in causis quæ sunt modici valoris et levis momenti, Authent. *Nisi breves*, et ibi Glossa, Bartol., Bald., Cod. de sent. ex brevitate recitand. (16. Causæ celerem expeditionem requirentes sunt præsertim illæ quæ recensentur in cit. Clement. *Dispendiosam 2*, de *Judiciis*, ibi: « Dispendiosam prorogationem litium, quam interdum ex subtili ordinis judiciarii observatione causarum docet experientia provenire, restringere in subscriptis casibus cupientes, statuimus ut in causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus, personalibus, officiis, canonicatibus, vel præbendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, aut super decimis.... Nec non super matrimoniis, vel usuris, et eas quoquomodo tangentibus ventilandis procedi valeat de cætero simpliciter, et de plano, ac sine strepitu iudicii et figura. »

(17. Sic etiam summarie decidi solent causæ pauperum, pupillorum, viduarum, carceratorum, aliorumque miserabilium personarum. Authent. de Mandatis Principum, § *Sit tibi quoque*, collat. 3. Item causæ alimentorum: l. 2, ff. de *Feris*. Sicut et causæ spoli, depositi, mercedis, et forensium, seu pere-